



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Caput 22. Conuersatio & colloquia eius pacifica, vtilia, pia, diuina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**



## C A P V T XXII.

Conuersatio & colloquia eius pacifica, vtilia,  
pia, diuina.

Lingua  
cauet

cauet

colloquia  
pacifica.

Consola-  
toria.

vtilia.

**T**homas de Kempis de seipso queritur: *Quoties inter homines fui, minor homo redij.* Nimis hoc ex vero dicere plerique possunt; nam ad colloquia multos effrenis linguæ trahit licētia, solatia per sepe quærimus ab amicis, aliàs noua, curiosa, iocularia consecretamur. Alia Iacobi mens, à studijs ægrè se abduci patiebatur, qui cū Deo librisq; loqueretur assiduè & iucundissimè; si necessitas, charitas vel officij ratio postularet, prōptissimus erat, & verba nō linguæ libertate, cuius si quis alius dominus erat, sed vtilitate vel necessitate metiebatur, præfertim si pax inter dissidentes componenda, æquum se partis vtriusque cōstituebat arbitrum, cuius arbitrato starent oēs; si tristes, afflicti & calamitatibus pressos conuenisset, mellistua dictione solabatur, & conformationē volūtatis cum diuinā, rationibus efficacib. persuadebat, cū doctis docta, non tñ vana, curiosa vel affectata; sed vtilia miscebat colloquia, discendi quàm docēdi cupidior; nequaquam tñ ijs similis, qui sua nulli cōmunicare vel



inuenta vel scripta, vel aduersaria volunt;  
 omnia potiùs ipsius amicis cōmunia, libri,  
 MSS. recōdite quęuis historiæ, vel si quid  
 aliud vsus postularet, crederes eum acci-  
 pere cōmodando, non cōferre beneficiũ.  
 At cum nullis æquē libēter, ac cū Religio-  
 sis miscebat, & de reb. asceticis colloquia; *Ascetica.*  
 tunc n. vero gestire animus, ridere vultus,  
 dilatari cor & diffluere gaudijs, cū in vi-  
 rum eiusdē propositi spiritusq̃, incidisset.  
 Nā qui parcissimus erat tēporis, hic nullas  
 numerabat horas, cordis intima p̃debat,  
 & ignitis verbis alios succēdebat, quæ sola  
 videbatur arcui semper intento studijs re-  
 missio, mentisq̃; plena relaxatio. Testatur  
 Religiosus, quo familiariter & sapientius vte-  
 batur, nūquam se cum eo locutum. qui cū  
 Seneca aliquā sui parte emendatior redie-  
 rit. De eo testatur is qui supra, Adamus  
 Kasen: *Magnus in viro fuit zelus animarum,*  
*magna libertas spiritus, vt in causa Dei & ani-*  
*marum timeret omnino neminem, Magnates*  
*etiam & Viros principes, si qui in ipsius Paro-*  
*chia domicilium haberent, aut exules fixissent*  
*sedem, adiret in Paschate, & suauiter offi-*  
*cij Christiani commonefaceret, dissidentes*  
*hortaretur ad concordiam, aliaq̃; munera*



Pastoralis officia non diligentissimè tantùm; sed & perfectissimè summa pietate & sensu animi, cum maxima spectantium edificatione perurgere conaretur, non aliud cor eius eructare, os loqui, penna scribere, quàm spiritualia norat; quod non modo tot ab ipso p̄j libelli editi testatum faciunt, verùm ij omnes, qui cum viro sepius egerunt, fateri cogentur: ipse enim de diuinis rebus loquendi scribendiq; modus & ardor satis manifestum faciunt, quo spiritu intus ageretur. hæc ille. Itaque non erat quod ipse vereretur, ne inter homines rediret minor ab hominibus; sed potius gauderet, quòd alios à se aliqua sui parte perfectiores dimitteret.

## C A P V T XXIII.

Temporis accuratissima ratio in somno, cibo capiendò, conuiujs, &c.

ep. 9. ad  
Lucil.

**S**ENECAE monitum hoc continuò velliscabat aurem Iacobi: *Vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serua; persuade tibi hoc sic esse, vt scribo, quadam tempora surripiuntur nobis, quadam subducuntur, quadam effluunt, turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit, & si volueris*

Ratio  
temporis.